


Q.K. 378.11.

II n  
599





ORDINIS PHILOS. IN ACAD. VITEBERGENSI  
D E C A N V S  
**GODOFREDVS AVGVSTVS  
M E E R H E I M**

PHIL. ET LL. AA. MAG. ATQVE ORDINIS PHILO-  
SOPHICI ASSESSOR ORDINAR.

H. T.

COMES PALATINV S CAESAREV S  
SOLEMNIA

CONFERENDAE VTRIVSQVE LAVREAE

A. D. XVII. OCTOBR. CICCCCLXXVIII.

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAЕ  
CANDIDATIS

INDICIT

PAVCA PRAEFATUS  
DE MORIBVS ATTILAE.



VITEBERGAE  
EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.







S. I.

**F**aepe multumque a viris doctis cordatisque obseruatum est, simplicitati historicae vel ab inscitia, vel ab odio fauoreque scriptorum hinc inde labes non ferendas adspersas esse. Hinc factum est, vt magna atque excellentia ingenia, quibus fortuna idoneos scriptores inuidit, aut turpi obliuione premerentur, aut si nescio quid a seculi opinione alienum patraverint, ex historicis maleuolos infestatores inuenirent. At quoties ex aduerso mercenaria laude decipimur, si mediocribus ingenii contigit eos nancisci vitae alias ingloriae commentatores, quos vel aula felix enutriuit, vel paupertas adulandi magistra ad calamum adegit, vt facile crederes non ingenuam eos narrationem, sed orationem funebrem compone. re voluisse! Ex eiusmodi diuersis studiis nata est infelix illa scriptorum discordia, vt idem saepe homo ab hoc immodica laude extolleretur, quem alter abjectum infamemque appellat. Quamobrem, vt singularis cautio in omni historiarum genere adhibenda est, ne quid superstitione dictum pro vero amplectamur, ita in primis in historia eorum temporum summa castigatione opus est, quae praeter monumentorum inopiam nullum eximium scriptorem tulerunt. Memorabile

A 2

in pri-



inprimis huius rei exemplum Attila, de quo cum lectitare-  
mus nuper quaedam et mire discrepantia, et aperte falsa,  
apud animum statuimus de ingenio, moribus, et rebus gestis  
viri sui temporis summi nonnulla accuratius differere. Inuen-  
ti sunt enim scriptores praesertim Hungarici, qui cum histo-  
riam eius perscriberent, nullis paeconis parcerunt, eumque  
nemini mortalium secundum fecere, inter hos THWROZIVS  
OLAHVS aliique exornandi studio eo abrepti, ut manifesta pec-  
cata historica haud euitarent <sup>a)</sup>). Alii conuicis modum non po-  
suerunt bestiam, monstrum in pestem humani generis natum,  
et quicquid bilis effudit, eum dictantes. Duces iniqui hu-  
ius iudicij JORNANDES, et Annalistae quidam veteres, quas  
recentiorum turba magno secuta est impetu <sup>b)</sup>), quae omnia  
quam non in Attilam conueniant, paucis clarum dabimus.  
Modestissime autem de eo memoriae prodidit PRISCVS Rhei-  
tor <sup>c)</sup>), cui ideo fides singularis habenda est, quod legati mu-  
nere diu multumque in aula eius consuevit, et ex sequiore  
aetate JVVCNCS COELIVS CALANVS DALMATA <sup>d)</sup> quam-

uis

- a) Vitam Attilae multi concinnarunt praeter OLAHV, CALLIMACHVS et BONFINIVS. THWROZIVS in Chronico Hungariae contendit, Attila post expeditionem Gallicam Pyrenaeos superasse, atque in Hispania Maurorum Sultanan devicisse, cum tamen in confessio sit, tum temporis Mauros neque in Hispania, neque Sultanan in orbe vniuerso fuisse.
- b) Mirati sumus inprimis non solum vulgus historicorum, sed etiam viros aliquoquin altius sapientes in iis numerari, ita SIGONIVS de Regno Italiae L. XIII. et BOSSVETVS Attilam teterimum hominum appellant.
- c) Scripsit summo candore Historiam Gothicam, cuius fragmenta in Excerptis Legationum inter Scriptt. Hist. Byzantinae T. I. p. 31. Ed. Par. reperiuntur.
- d) Editus a MATTHIA BEL ac doctissimis annotationibus instructus in Apparatu ad historiam Hungariae pag. 89.

uis incerti temporis scriptor, a veritate tamen non' alienus,  
quibus adde DEGVIGNES<sup>e)</sup> et MONTESQVIEV<sup>f)</sup>)

§. II.

Antea autem operae pretium videtur breuiter disquirere, qui factum sit, ut adeo diuersa sentirent scriptores. Paucis respondendum, primo scriptores Hungaricos serio sibi persuasisse, gentem suam ex reliquis exercitus Hunnici, quae in Pannonia confederant, esse profectam, ideoque cum Attilae velut progenitoris sui facta canerent<sup>g)</sup>, vanitati concessisse. Deinde, qui inclemensius de Attila statuerunt, illud aut more Romanorum fecere, quibus omne nomen Hunnicum admodum inuisum fuit<sup>h)</sup>, aut nimio Christianae religionis ardore incaluere, Attilamque gentium sacris addictum idecirco detestantur. Postremo JORNANDES acerrimus Attilae obrectator sublestae fidei non sine causa argui potest, quia de Hunnorum origine, eorumque rebus varia liquido falsa, ac putida criminatur<sup>i)</sup>. Intercesserant enim Hunnis cum Gothis capi-

A 3

tales

e) Histoire des Huns, des Turcs, et des Tartares.

f) Considerer: sur la grandeur et la Decadence des Romains.

g) Hunnos et Aavares eiusdem populi diuersas stirpes fuisse apertum est, coalescentibus igitur amborum nominibus Hungarorum gentem ortam esse plerique opinantur.

h) Iam qui primus Romanorum Scriptor eorum mentionem facit AMMIANVS MARCELLINVS L. XXXI. c. 2. ait, eos omne feritatis modum excedere. Pariter ZOSIMVS in Hist. Nova L. IV. c. XX. CLAVDIANVS in Ruffinum, et SIDONIVS in Panegyrico iudicant.

i) JORDANES natione Geta impudentissime prodit, Hunnorum populum ex immundorum spirituum coitu cum foeminis Scythicis profectum esse. De Reb. Get. cap. XXIV. apud MVRATORIVM in Scriptt. Italiae Tom. I, pag. 203.



tales inimitiae, propterea quod hi ab illis olim sedibus suis pulsi, atque in seruitutem dati fuerant <sup>k)</sup>.

### §. III.

Iam succinēte exponendum videtur quicquid de rebus ab Attila gestis ad notitiam nostram peruenit testimoniis idoneis probatum. Natus est ex stirpe Hunnorū occidentalium circiter sub auspiciis Seculi V.<sup>l)</sup> Dissident de patre ejus Historici <sup>m)</sup> certum tamen, eum post fata patrii Rouae imperium in Hunnos suscepisse, atque cum fratre Bleda aliquamdiu individuum tenuisse <sup>n)</sup>. Gloriae cupido ac ferox gentis ingenium statim eum ad bella compulit, quorum primum aduersus Scythas tanta felicitate gessit, vt, quae intra Tanain, atque Istrum incoluere nationes, cunctas debellaret <sup>o)</sup>. Tantis viribus fre-  
tus non desperauit vtrumque imperium Romanum sibi subjice-  
re <sup>p)</sup>. Regebant tum Orientem Theodosius II. Occidentem  
Valentinianus III. neuter Attilae par. Initio Orientem ador-  
tus est, quamuis a Theodosio Ducis dignitate ornatus esset <sup>q)</sup>,

qua

*k) JORNANDES l. c.*

*l) DEGVIGNES Tom. I. p. 418.*

*m) CALANVS Madluchum, PRISCVS Mundluchum, THEOPHANES in Chronographia Omnidium vocat. Nomen ATTILAE ipsum nobilem significare videtur, quia THWROTZIVS prodit, eum a fuis Ethele vocatum esse, quare etiam a Prisco non ATTILA, sed, ATTILA scribitur.*

*n) PRISCVS l. c. JORNANDES l. c. PROSPER A QVITANICVS in Chro-  
nico. ap. CANISIVM Leett. Antt. Tom. I. p. 168.*

*o) CHRONICON ALEXANDR. ad a. 435. Scriptt. Byz. T. V. et MARCEL-  
LINVS COMES in Bibliotheca Patrum Tom. VI. p. 362. et JORNANDES l. c.*

*p) Idem l. c. ex PRISCO constat, eum etiam bellum in Persas meditatum esse.*

*q) PRISCVS l. c. ait, Attilam legislati respondisse, breui se effecturum, vt  
fe*

qua ratione tum Romani barbarorum Reges placabant, et stipendia annua DCC. pondo auri acciperet. Vix bello denunciato Illyricum inuasit, atque intra breue tempus ultra septuaginta vrbes expugnauit. Pacem deinde petenti Theodosio his legibus dedit, vt Romani omnes transfugas dederent, ac VI. millia pondo auri numerarent<sup>1)</sup>). Tum Priscus in legatum comitatu ad Attilam missus est, cui documentum vnicae fidei debemus. Breui post bellum in Occidentem vertit cum Honoriae Valentiniani sororis<sup>2)</sup>), tum Genserici Vandalorum Regis precibus sollicitatus. In hanc expeditionem fere vniuersum septentrionem eduxerat, atque exercitum septingentorum millium sub signis habuisse dicitur.<sup>3)</sup> Gothi ac Romani sibi pariter timebant, ambos tamen fortasse circumuenisset Attila alia omnia erga alterutros causatus<sup>4)</sup> nisi Aetius Patricius antea aliquandiu apud Attilam delitescens<sup>5)</sup>), eiusque consiliorum particeps vtriusque populi vires prudentia sua coniunxit. Nihilo tamen secius Attila per Germaniam Rheno nauibus infinitis strato in Galliam perrexiserat, atque vrbibus munitissimis captis omnia ferro atque incendio vastabat

se ἀντι σφαγηου Βασιλεως vocarent, quod mihi non, vt VALESIVS verit, Regem, sed ipsam Augufalem dignitatem innuere videtur, quia a Byzantinis vocabulum Rex alias plerumque per Pḡ redditur.

<sup>1)</sup> PRISCUS, MARCELLINVS, et CHRON. Alex. l. c.

<sup>2)</sup> Honoria fratri infesta missa annulo Attilam ad nuptias, et consortium imperii inuitauerat. JORNANDES de successione Regnum. p. 239. et Priscus p. 39.

<sup>3)</sup> JORNANDES l. c. et Historia Miscella apud MVRATORIVM T.I. p. 97.

<sup>4)</sup> Hist. Miscell. l. c.

<sup>5)</sup> Aetius ob insidias Bonifacio Comiti structas ad Hunnos exul profugerat. Hist. Misc. l. c.



bat <sup>2)</sup>), donec tandem ad pugnam post hominum memoriam atrocissimam in agro Catalaunico ventum est, qua incerto euentu finita Attila suos haud grauatum in Pannoniam reduxit <sup>3)</sup>, proximo anno cum reparatis copiis reuersurus. Tum nec opinantibus omnibus Italiam intravit, et Aquileia post diuturnam obsidionem expugnata <sup>4)</sup> Romam vsque progressus est, ibique Leonis M. Pontificis Romani precibus commotus dicitur <sup>5)</sup>, vt pace facta stipendiisque pactis in Pannoniam rediret. Non ita multo post vitam effluvio sanguinis amisit, cum in nuptiis recens celebratis plus solito vini bibisset <sup>6)</sup>. Annos vixit LVI.

#### §. IV.

Ex his igitur, quae de eius vita perstrinximus, iam satis appareat eum virum magni animi, ac Principem potentissimum fuisse <sup>7)</sup>, quippe qui Hunnorum gentem antea vix in Scythiae paludibus notam ad eam claritatem perduxit, vt sere orbis vniuer-

y) GREGORIVS TVRONENSIS L. II. c. 7.

z) Infimulatur Aetius, ac si Attilam opprimere noluisset. Thorismundum certe Visigothorum Regem sub specie paterni funeris procurandi ab exercitu dimisit, JORNANDES l. c. et CALANVS cap. X.

a) Memorabilem hanc Aquilejae obsidionem, Attilaeque in ea constantiam et sagacitatem narrant prolixe JORNANDES, et Hist. Miscella.

b) Nugantur, qui Attilam reverentia Leonis Papae attonitum fuisse scribunt, longe sanius Hist. Miscella, Leonem a Valentiniiano legatum missum refert, quod etiam Propter confirmat.

c) MARCELLINVS et pauci eum a sponsa necatum tradunt, reclamantibus plurimis.

d) a THEOPHANE appellatur ἀρδειος καὶ υπερφανης, quod Auctor Hist. Miscellae vertit, vir fortis et superbus, mallem magnanimus.

vniuersus leges ab ea reciperet <sup>c)</sup>). Quicquid populorum a Palude Maeotide ad Rhenum fluuium interiacebat, ditioni eius suberat <sup>f)</sup>). Militabant in castris eius Reguli ac Duces multarum gentium, eique tanquam mancipia parebant <sup>g)</sup>). Ipse inter duo Romanorum imperia communis terror confudit, Aderant in aula eius legati Caesarum supplicibus similes, quibus leges scribebat, ac tributa imperabat. Mirum est, quam indigna a Romanis postulabat, et quam alacriter hi iussa eius exequabantur. Bella innumera gessit magna felicitate vesus si proelium Catalaunicum <sup>h)</sup> excipias, quo tamen adeo vires eius non fractae sunt, ut paulo post Romanis longe grauior fuerit. Ipse bellator acer, ac strenuus, miraeque fortitudinis exemplum in eodem proelio edidit. Cum enim proxima nocte exercitum intra munitamenta contineret, ingentem pyram struxit se ipse cum apparatu omni regio perditurus, si a Romanis expugnaretur <sup>i)</sup>. Nemo in bellis suscipiendis prudens.

c) ZOSIMVS Hunnos imbellem gentem adhuc nominat.

f) PRISCVS de eo: Nemo vnuquam eorum qui in Scythia, aut alibi regnabant tantas res tam breui tempore gessit Totius Scythiae dominatum sibi comparauit et imperium vsque ad Oceanum et insulas protulit.

g) PRISCVS: Οἱ δύτες Θεραποντες σφατηγοι εἰσι.

h) Non possum non eos erroris arguere qui victoriam Romanorum in hoc proelio nimium extollunt. Plerique enim historici testantur aequa clade discessum esse, ac tum demum Romani se viceisse crediderunt, cum Attila se impedimentis circumvallaret. JORNANDES refert eum velut Leonem venabulis pressum intra plastra armis strepitasse, ac tubarum cantu victores suos turbasse.

i) JORNANDES, et Hist. Mift. l. c.



dentior, nemo in gerendis audacior<sup>k)</sup>). Prius in Romanos non mouit, quam omnes eos populos pacasset, quas suspettos habebat, moxque eos aduersus nouos hostes tanquam armatos obfides duxit<sup>l)</sup>). Maluit Romanis regnantibus imperare, quam eos in prouinciae formulam redigere. Reddiit igitur haud aegre quicquid terrae occupauerat, quia nouerat, se ob ingenium gentis suae terribiliorem incursionibus fore, quam si natio aspera clementia soli emolliretur. Quanta vero sollertia ducis officio functus sit, indicium esse potest, quod tot, tamque diuersas gentes barbaras summa concordia in exercitu continuit<sup>m)</sup>), in hoc genere Annibali aequiparandus, de quo idem ut praecipua imperatoris virtus laudatur.

### §. V.

At hoc iuste in eo reprehendi posse videtur, quod belorum auidus humano generi otium abstulerit. Quod tamen quo pacto in summis viris lateque victoribus excusari potest? Certe constat eum arma prius non sumisse, quam reiectis

*k)* JORNANDES eum in instruenda acie ante proelium Catalaunicum Regem supra omnes reges appellat.

*l)* Erant in castris eius Rex Ostrogororum Walimir, Rex Gepidarum Arduicus, Rex Alanorum Sangibanus aliique complures.

*m)* Indicem barbarorum quos in exercitu habuit contextuit Hist. Misc. nimirum Rugios, Gelonos, Squiros, Burgundiones, Francos, Neuros, Baftarnas, Turcilingos, Quados, Herulos, Suevos, et Marcomannos. At quanta disciplina tum opus fuit!

reiectis, quas postulauerat conditionibus, quod diserte testantur omnes historici<sup>o</sup>). Praeterea difficile erat gentem bellis ac latrociniis adsuetam in pace compescere. At inquis, bella iusto acerbius gessit, ut nulla crudelitatis species in iis absenseret, desolatae Galliae, vastata Italia, direptae vrbes, expilata templo, caesi imbuberet, vitiatae virgines. Quae quidem omnia recentiores pleno ore vociferantur, sed non suffragantibus Scriptoribus priscis, qui eiusmodi furoris exempla non nisi post Aquilejam et quasdam vrbes vi expugnatas ab impotenti milits admissa commemorant. Plurima enim talia eius generis sunt, ut ab iniuria bella communi aegre separari possint. Quod si enim de victis tam dire vbiique cosuluisset Attila, qui factum esset, ut tot vrbes munitae in Gallia, Italia atque Illyrico ipsum vltro reciperent<sup>p</sup>)?

### §. VI.

Certe, qui Attilam sanguinis insatiabilem, nimiaeque feritatis accusant inde haud aegre reselluntur quod Scriptores grauissimi eum vehementem quidem, iracundumque, exorabilem tamen, et ad ignoscendum proclirem vocant.<sup>r</sup>) Cu-

B 2 ius

<sup>n)</sup> Nunquam stipendiis numeratis, aut rebus, quas repetiuit, redditis bellum vltro continuauit. Inprimis autem memorabile patientiae exemplum tum edidit, cum Theodosius per Bigalan, atque Edeconem capitii eius insidias fecisset.

<sup>o)</sup> Deditio nem fecerant Verona, Mantua, Moguntia, Metae, aliaeque, omnes clementiam eius expertae. *Gregorius Taron*: I. c. et *Calanus* Cap. XVI.

<sup>p)</sup> *Tornand.* et *Hiftt. Msc.* ita de eo sentiunt: Supplicantibus exorabilem, propitiū in fidem fēmel receptis fuisse.



ius rei luculentum Testimonium a PRISCO refertur.<sup>1)</sup> Cum enim Bigilas Graecorum legatus in vitam eius cum Edecone ministro regio coniurasset, delata ab hoc proditione, nihil grauius in Bigilam decreuit, quam ut eum verbis austere correptum mulcta que indicta dimitteret incolumem. In primis autem ipsi Bledae fratris caedes exprobatur. Qua de re quamvis consentiant scriptores plurimi, de causis tamen necis eius discrepant. Referunt enim alii eum proditionis compertae reum interisse,<sup>2)</sup> alii de violenta morte prorsus tacent.<sup>3)</sup> Vt cunque se res habeat, saltem in hac causa Attila non Romulo peior, quem tamen fratricidam fere omnis excusare studet antiquitas. Fuerunt denique homines superstitionis, qui vel inde criminacionem arcesserent, quod Attila sanguinolentissimus tyrannus suo cruore voluntatis animam posuerit.<sup>4)</sup> Quod quidem ne indignationem quidem mereri videtur. Quid enim facilius, quam tale mortis genus in homine calentis spiritus, qui praeter morem, ut confessim docebimus, pridie inter epulas vino laetus indulserat.

### §. VII.

Aequo fere se habent, quae vulgo de intolerando, atque execrabilis eius fastu proferuntur. Huc recensent arrogantissi-

1) pag. 54.

2) Inter hos Anton. Bonfinius Decad. I. libr. III.

3) Huc Theophanis locus valet plane scribentis, Attilam fratre Bleda amissio imperium solum obtinuisse. Praeterea in historia Prisci una ex uxoribus Bledae memoratur, quae regio cultu adhuc vivet, et vici cuiusdam domina erat, quanquam tum Bleda iam dudum viuis excederat.

4) Pudendum eius exitum vocat Iornandes. Quanto rectius Calanus:  
,, Non

gantissimum, quo se ipse ornauerit, titulum, Terrorem mundi, Deique flagellum se dictitans.<sup>\*)</sup> Quibus bisariam potest reponi, primo silentium scriptorum veterum de ambitionis hisce nominibus, rem enim commemorat THWRO-TZIVS non priscae fidei homo. Deinde fortassis indoli gentis ex Oriente prosectae conueniebat. Asiaticis enim ingeniis placere sonantia illa nomina quis nescit? Caeterum inficiari nolumus responsa admodum superba eum dedito Theodosio, quae PRISCVS consignauit,<sup>\*)</sup> at haec sunt ea quae vietiis victores dare consueuerunt. Quae vero de incessu, vultuque eius graui elatoque referuntur, nescio quomodo in rege possint reprehendi.

### §. VIII.

Iustitiae amator fuit, suisque ius pro tribunali quotidie dixit,<sup>\*)</sup> Erga ciues et milites comis et affabilis, erga amicos munificus atque indulgentissimus, ita Onelegium interioris admissionis hominem ad dignitatem fere regalem produxit.<sup>\*)</sup> Solebat, quos suorum locupletare volebat, legatos Romanam, aut Constantinopolin mittere, vbi lautis mune-

B 3

ribus

„Non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi, inter  
„gaudia laetus, sine sensu doloris occubuit.

<sup>\*)</sup> Terrorem gentium quidem veteres nonnulli eum appellant, sed non referunt se ipsum ita vocari voluisse.

<sup>\*)</sup> Chronicon quidem Alex. narrat in hoc genere fabulosum, misisse eum legatum ad Imp. his verbis: Meus Dominus ac tuus Dominus Attila iubet ut Palatium sibi exfruas. Alter rem Priscus docet, Attilam nimis rum legato preecepisse. Theodosium claris quidem parentibus natum, sed hac nobilitate excidisse, quod tributum sibi pependerit.

y) PRISCVS l. c.

z) Idem.





ribus augerentur. <sup>a)</sup> Nemini barbarorum melius a suis obtemperatum est, quam Attilae, <sup>b)</sup> nemo carior iis, aut desiderabilior, quod ex luctu, et complorationibus post obitum eius ortis liquido constat <sup>c)</sup> Nihil eo frugalius, nihil temperantius. Iuuat ad confirmandum hoc nonnulla ex PRISCO excerpere, quae ille de conuiuo apud Attilam celebrato, narrat. Ipse in mediis castris in domo lignea habitabat affabre politeque facta, sed sine vlo splendore <sup>d)</sup>. Dum conuiuis reliquis fercula, atque edulia omnis generis opipare instrueta apponebantur, ipse nihil sumxit praeter carnes simplices in quadra lignea, cum aliis lances argenteae paeberentur. Poculum ei ligneum, reliquis aurea. Nihil eius vestem ab habitu aliorum distinxit, praeterquam quod pura, ac nitida erat. Non ensis eius geminis instructus, non pretiosa ei calceorum ligamina, vti reliquis barbaris, non frena et phaleras exquisitiores pro more Scytharum habuit. Scurra superueniente omnes in risum soluti, solus Attila constantissimi vultus mansit. Neque hilarior visus est, cum duo vates Scythici facta eius carminibus recitarent. Semel subfrisit, cum filium natu minorem intrantem oscularetur, quem ideo diligebat, quod praedictum ei erat, hunc puerum nomine Irnach olim gloriam Hunnorum reparaturum esse.

Ita

a) Idem

b) Apud eundem PRISCVM ita Onesegius Maximino responderet, se potio rem ducre apud Attilam seruitutem, quam apud Romanos ingentes opes.

c) Iornandes refert, Proceres Hunnorum se morte eius comperta vulneribus proscidisse ne proeliator eximius foemineis lugeretur.

d) Idem Iornandes vidisse se adhuc testatur.

Ita Attila tantus Rex masculae simplicitatis vir, omnem pom-pam, atque instrumentum regium vxoribus reliquit <sup>e)</sup>.

### §. IX.

Postremo quia satis de ingenio eius disputauimus, reliquum esse videtur, ut de habitu corporis pauca subiiciamus. Describitur a plerisque quod fuerit corpore breuis, statura tamen non multo infra iustum, lato pectore, capite grandiori minutis oculis, rarus barba, canis ad spersus, simo naso, atque vti JORNANDES <sup>f)</sup> addit teter colore, atque originis suae signa referens. Nollem vero ego ista in columniam eius vertere, quae vniuersis fere Maeotidos accolis hodienum communia sunt. Quantum enim ex concordi hac scriptorum delineatione intelligitur, ingenuam Cosaci faciem praese tulisse videtur.

### §. X.

Tantum est, quod ex inculpatis veterum monumentis de Attila eiusque moribus a nobis erui potuit. Non quidem ii sumus, qui hoc consilio scriberemus, vt Attila maior omnibus appareret, atque a vitiis prorsus liber, puduit tamen cum turba errare, virumque sane admiratione dignum in tanta historiae luce extra humanitatem proiecere. Si dixeris feritatem, asperitatemque in eo prorsus abstergi non posse, nulli repugnabimus. Inoleuerunt enim in homine in barbarico nato multa,

e) PRISCVS a pag. 66. sqq.

f) Hist. Misch. sic eum describit: „Superbus incessu, huc se, atque illuc circumferens, vt elasti potentia ipso motu corporis appareret“ et PRISCVS θαδίζων σοθηρως, τηδε κακει περιβλεπομένος.




multa, et conspicua educationis, consuetudinisque Hunnicae semina, quorum tamem maiorem partem singulari diligentia correxisse videtur. Fortassis etiam gloriae pruritus ad plura bella eum stimulauit, quam quibus opus esset, verum hoc commune animi humani vitium ipsi vnicē imputari nequit. Plura etiam animaduertimus ipsi iure in eo notanda, v. c. superstitionis vim, cuius vestigia quaedam apud PRISCVM deprehenduntur, multiplicata connubia, et incestas cum filia nuptias. Verum haec quoque testantibus historicis ex institutis gentis Hunnicae possunt aliquantum purgari. Ut breuius praecidam, Attila et si non utilis humano generi, illustris tamen magis, quam abominandus dicendus est. Eueniet fortassis huic aliquando, quod Ioanni Basili, Christierno, aliisque, ut obliterato subinde tyranni nomine posteritatis gratiam inueniat.

Veniamus demum ad id, quo circa haec exarauiimus, ut scilicet pro munere, quo SERENISSIMI PRINCIPIS, atque AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI beneficio per semestre hoc ornati sumus, Viros ex omni litterarum genere, eruditione, moribusque conspicuos, quorum interest splendorem Academiae, Ordinisque nostri augeri, officiose humanterque ad praemia diligentiae suae recipienda, et dignitates in hoc Ordine summas, quae proxime a. d. XVII. Octobr. distribuentur, rite capessendas hortemur, atque inuitemus.

P. P. Festo Visitat. Mariae A. P. C. N.

M DCC LXXVIII.






HC

AKTn 599

X3074370



# Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ORDINIS PHILOS. IN ACAD. VITERBERGENSI

D E C A N V S

# GODOFREDVS AVGVSTVS M E E R H E I M

PHIL. ET LL. AA. MAG. ATQVE ORDINIS PHILO-  
SOPHICI ASSESSOR ORDINAR.

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS

S O L E M N I A

CONFERENDAE VTRIVSQUE LAUREAE

A. D. XVII. OCTOBR. CCCLXXVIII.

HILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE  
CANDIDATIS

INDICIT

PAVCA PRAEFATVS

## DE MORIBVS ATTILAE.

VITERBERGAE

EXGUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.

